

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiæ &
Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinæ
Christianæ In Usus Institutionis ...**

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Caput XX. De Statibus Iesu Christi.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

liare debebat, erat Deus & homo. v. Hebr. II, 11. Coloff. I, 14. 22. 1. Tim. II, 5. 6. Quâ ratione abunde salutis & solatio fidelium prospectum, ceu quorum Redemptor potens Deus & simul frater qui potest affici sensu infirmitatum nostrarum, utpote in omnibus consimiliter ac nos, sine peccato tamen, tentatus erat, Hebr. IV, 15. II, 17.



CAPUT XX.

De

STATIBUS JESU CHRISTI.

Σύνοψις.

Jesu Christi dispari
statu in genere in-
dicatō. §. I.

Primò notandus venit
status exinanitionis,
qui describitur.
§. II.

Qui improprie ad na-
turam divinam,
proprie ad huma-

nam refertur. §. III.
Et hujus quidem hu-
miliatio in initio
vitæ §. IV. V.

Etiam in progressu. §.
VI.

Tum in vita privata.
§. VII.

Tum in publica. §. VIII.
Denique in vitæ e-

ff gressu

gressu ostenditur. § IX.

Distinctè notatur humilitatio, quæ crucifixionem antecederat. §. X.

Quæ eam comitabatur. §. XI.

Quæ eam sequebatur. §. XII. XIII.

Ex dictis constat humiliationem Christi ab initio vitæ usque ad finem durasse: Corpus & animam spectasse. §. XIV.

Ad passionum Christi pretium clarius cognoscendum notandum est, quod innocens. §. XV. XVI.

Liberè, non coactè. §. XVII.

Juxta Patris voluntatem passus fuerit. §. XVIII. XIX.

Causa obedientiæ & passionum harum hæc est, ut omnes,

qui in ipsum credituri sunt, salventur. § XX.

Ino omnes quoque Christi exemplum imitentur. §. XXI.

Secundò notandus venit status exaltationis, qui describitur § XXII.

Cujus jam præludia in statu exinanitionis prostabant. §. XXIII.

Insunt ei varii gradus, quorum primus resurrectio. §. XXIV.

Cujus ostenditur natura. §. XXV.

Causa, quæ modò Pater, modò Filius dicitur. § XXVI.

Circumstantiæ. XXVII.

Tandem veritas. §. XXVIII. XXIX.

Quæ maxime probatur ex apparitionibus Jesu. §. XXX.

Alter gradus est ascensio Christi in cælum.

§. XX.

ne, quod ve-

alter fact-

probat. §.

rebat quon-

ros. §.

XXIV.

XXVI. XX

notur tert-

as, sive sels-

ad dextr-

§. XXX

probat impro-

penda est

Christi

potent-

XXIX. XL.

cur, quæ

Christi,

rimus, dis-

omeli: Pos-

cum Patre

VIII, §. 6.

& imple-

unde Histo-

notur, constat

notum eis riu

re in glori-

lum. §. XXXI.

*Quæ, quod verè & lo-
caliter facta fuerit,
probatur. §. XXXII.*

*Probatur quoque ve-
ritas. §. XXXIII.*

XXXIV. XXXV.

XXXVI. XXXVII.

*Sequitur tertius gra-
dus, sive sessio Chri-
sti ad dextram Pa-
tris §. XXXVIII.*

*Phrasis improprie ac-
cipienda est, & no-
tat Christi gloriam
& potentiam. §.
XXXIX. XL.*

Tollitur, quæ inde ori-

§. I.

*ri posset difficultas,
ac si Filius Patre ho-
noratior. §. XLI.*

*Ultimus gradus est re-
ditus Christi ad ju-
dicium ultimum. §.
XLII.*

*Memoratos gradus
Christus sibi prome-
ritus est. §. XLIII.*

*Quod supra de exina-
nitione dictum, de
exaltatione quoque
valet quod proprie
ad naturam huma-
nam, improprie ad
naturam divinam
referri queat. XLIV.*

Jesu Christi, cujus modò personam specta-
vimus, dispar valde status erat. Primò
humilis: Postea excelsus. Quod ex æterno
Filii cum Patre pacto, vaticiniis v. Gen. III, 15.
Ps. VIII, 5. 6. XXII. CX. CXVIII, 22, 23. Es.
LIII. & implemento N. Testamenti, prout
abundè Historia Evangelica & Apostolica te-
statur, constat. Oportebat παθεῖν τὸν χριστὸν καὶ
ἐκείναις εἰς τὴν δόξαν, pati Messiam & (tum) in-
trare in gloriam Luc, XXIV, 26. cf. 1. Petr. I, 11.

Ff 2

Quo-

Quoniam enim redimendorum personam sum-
ferat Salvator, atque hi propter peccata humi-
liandi, variis adversitatibus, ipsi denique male-
dictæ morti subijciendi, humiliabatur ac subji-
ciebatur ipse. Verum humiliatione illa prome-
ritus sibi erat gloriam, ut eandem in nos trans-
ferret, ex morte liberaret atque in cœlestia gau-
dia transponeret.

II. *Primò notandus venit exinanitionis
status, quò δεινδρον & quoad divinam natu-
ram seipsum ad tempus privavit manifesta-
tione Majestatis sibi aliàs competente, quoad
humanam verò in similitudine hominis for-
mam servi assumpsit atque per totam vitam,
maximè in morte ea egit, quæ ad restitutio-
nem peccatoris poscebantur. De quo quidem
statu in Sacris passim, maximè Joh. XVII, c. t.
& Philipp. II, 6-9.*

III. *Exinanitio itaque spectari potest vel
ratione divinæ vel ratione humanæ naturæ.
Divina natura propriè humiliari nequit,
nam Deus est immutabilis. Attamen Filius
Dei gloriam, quam ab æterno apud Patrem
habebat Joh. XVII, 5. ad tempus sub velo
carnis imbecillæ, quasi occultabat. Se-
ipsum exinaniebat formam servi assumens
in similitudine hominis factus, Phil. II, 7. 8.
Subinde tamen radios divinitatis conspiciundos
præbebat, tum miracula patrans, tum alibi
Matth. III, 16. 17. XVII, 2-6.*

IV.

IV. *Precipue vero quoad humanam naturam humiliabatur. Et quidem in initio, progressu & fine vite.*

V. *In initio vite.* Quatenus particeps factus est carnis & sanguinis, consimiliter ut alii pueri: In utero matris latebat, ex eo cruentus egrediebatur. Mater, tutor quoque pauper-
culus ei erat. Non domum propriam, in qua natus, imò ne quidem incunabula habebat. Octavo die circumcidebatur, qui circumcisio-
ne non indigebat, uti reliqui Judæi, sed is ita obligabat se ad totam legem servandum. Mox in Ægyptum aufugere necesse habebat.

VI. *In progressu vite, quæ in duas partes rursus dispescitur, privatam scil. & publicam.*

VII. *Vita privata* protendebatur ad annum trigesium Luc. III, 23. quâ Mariæ & Josepho obedientiam præstabat, artem, uti vide-
tur, fabrilem exercebat Marc. VI, 3. ut habe-
ret, unde viveret. Neque enim bona propria possidebat.

VIII. *Vita publica*, (cujus spatium non satis clarè liquet, probabiliter tamen tribus integris annis & parte quadam contabat, utpote Johannes quatuor Paschata tempore functionum Christi publicarum memorat c. II, 13. V, 1. cf. IV, 35. VI, 4. XIII, 1.) exinanitione plena erat. Nam ejus exordium facturum à servo suo baptizabatur, quod cum dignitate supremi

Domini minus convenire Baptista judicabat Matth. III, 14. Mox postea à Satana ternis vicibus tentabatur, huc illuc ducebatur Matth. IV, 1-11. Concertationes ipsi erant cum omnium generum hostibus, Phariseis, Scribis, Sadduceis, Herodianis, Sacerdotibus. Illudebatur ab his: Ab aliis gravissimis convitiis proscindebatur Matth. XI, 19. XII, 24. Joh. VIII, 48. Rursus ab aliis porcis postponebatur Matth. VIII, 34. Denique alii insidias vitæ ejus struebant. Tandem fatigationes, paupertatem, famem, sitim perferebat.

IX. *In egressu vitæ. Ubi distinctè notari possunt, quæ antecedeabant crucifixionem, quæ eam comitabantur, quæ eam denique sequebantur.*

X. *Antecedeabant crucifixionem celebratio Paschatis & sacra Cœnæ, instantes passiones horribili pictura depingentium. Dein perfida Judæ discipuli vilissimò pretiò, avaritiâ dictante, Satana cor implente, facta sui proditio, juxta prædictionem Ps. XLI, 10. Tum ingens angor tristitiaque in horto Gethsemane ob poculum judiciorum Dei ebibendum Matth. XXVI, 30-47. Præterea violenta, qualis adversus latrones institui solet, prehensio l. c. v. 51-56. Insuper turpis discipulorum fuga v. 56. Acerba quoque illusio & injusta coram Synedrio c. condemnatio v. 57-68. Etiam trina Petri abnegatio v. 69-f. Denique ignominiosa existimatio*

matio, quâ Judæi Barnabam Christo præfer-
bant, flagella, amarus contemtus.

XI. *Comitabantur crucifixionem* iniqua
Pilati (ad tempus quidem invido Judæorum
petito resistentis) sententia de cruce, mortis
specie Romana, summa, maledicta, juxta Va-
ticinia tamen & typos, subeunda. Molesta
dein crucis portatio. Vestium quoque despo-
liatio. Suspendio dolorosa manuum pedumque
perforatione factâ. Accedit quod medius inter
duos latrones pependerit, atque sarcasticè ab
omnibus spectatorum generibus illusus fuerit.
Præterea passiones adeò increfcebant ut excla-
mare necesse habuerit *Deus mi, Deus mi, qua-
re me dereliquisti?* Matth. XXVII, 46. Tan-
dem subsequēbatur mors, quam ultimò lateris
perforatio excipiebat; nam quoniam Christus
citius, quàm suspensi solent, animam efflabat,
omissio crurifragio, non tamen sine peculiari
Numinis directione, lanceâ latus aperiebatur,
emittens sanguinem aquamque, prout olim pu-
rificationes aquâ & sanguine fiebant.

XII. *Crucifixionem sequebatur sepultura,*
opera Josephi, & Nicodemi in peregrino sepul-
chro facta, Christi verè mortui irrefragabile
documentum. Et quoniam à veritate mortis
Christi Christianorum fides dependet, ideo
prospexit providum Numen, ut ejus veritas va-
riis argumentis constaret. Hinc de ea testantur
milites latus lanceâ fodientes, Centurio coram

Pilato, Josephi & Nicodemi opera sepulchralis, custodia militum sepulchro appo-
sita.

XIII. *Sequebatur quoque permansio in statu mortis.* Christus, qui sepeliebatur, non mox resurgebat. Quamvis ei corruptio subeunda non erat, conveniens tamen, ut tridui spatium quasi sub triumpho mortis detineretur. Anima quidem statim post mortem in Paradiso Luc. XXIII, 43. existerat, sed non prius cum corpore conjungebatur, quàm triduo elapso. Alia non tradit Scriptura de statu mortis Christi. Alia itaque à nobis credenda non sunt. Et probabile est hoc ipsum Veteres, qui *descensus Christi ad inferos* meminere, intellexisse.

XIV. *Ex his nunc constat quàm gravis Christi humiliatio, & quæ ac quanta ipsi perferenda fuerint.* (1.) Ab initio vitæ usque ad finem ejus adversitates certatim eum feriebant. Imò crescente ætate crescebant afflictiones. (2.) Hostes experiebatur socios æque ac nulla familiaritate sibi conjunctos, Judæos ac Gentiles, homines & spiritus malos. (3.) Patiebatur in corpore & anima. Atque hoc necessarium. Neque enim intensissimi dolores in corpore sentiri possunt, animâ de iis non participante. Dein æquum, ut, qui corpora animosque nostros redimere debebat, in corpore animoque pateretur. Unde Historia Evangelica

lica testatur Salvatorem jam tum anxium fuisse, quando futuras emortuales passiones menti suæ multo tempore antè proponebat Luc. XII, 50. Vicinus morti fortius angebatur Joh. XII, 27. *Nunc anima mea turbata est & quid dicam? Pater serva me ex hac hora.* Et quando jamjam hostibus tradendus, ἡρώατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδύναεῖν atque dicebat περίλυπός ἐστιν circumquaque tristis est anima usque ad mortem. Matth. XXVI, 37, 38. Expetebat liberationem ab haustu poculi, si pote. Defluebat ex eo sudor instar guttarum sanguinis cordis anxietate extortus, Luc. XXII, 44. Imò in cruce in hæc angoris plena verba erumpebat. *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* Matth. XXVII, 46. Et certè acuti dolores, privatio lætitiæ, solatii, potestas tenebrarum mortis ob peccata omnium nostrum in eum coniecta permagna animum non poterant non tristitiâ, angore replere.

XV. *Quo dignitas atque pretium memoratarum passionum clarius nobis innotescat, porro observandum perlatis illas à Christo esse absque causa, seu quas minimè merebatur. Dein sponte & libere: Atque hoc ut voluntati Patris satisfaceret.*

XVI. *Primò patiebatur innocens. Quod quidem ex tota Historia, maximè crucifixionis & mortis constat. Innocentiæ ejus testimonium perferunt ipsi hostes, Judas Matth. XXVII, 4.*

458 Cap. XX. De Statibus Jesu Christi.
Pilatus v. 24. Centurio v. 54. maximè miracula
quæ in cælo, terra, Templo, hominibus pa-
trabantur. Ipsa Judæorum accusatio infontem
ipsum declarat. Pilatus quippe Christum tur-
batores seditiosum esse post institutum exa-
men negabat. *Æterna verò veritas est, quòd*
Filius Dei sit, ob quam confessionem tanquam
blasphemus habebatur.

XVII. *Dein liberè.* Ab æterno passiones se
subiturum sponte promittebat. In plenitudi-
ne temporis eas subibat, veniebat ad faciendum
voluntatem Patris, seque servum fistebat Ps.
XLI, 7. 8. Noverat tempus mortis, nam illud
sæpius prædixerat, noverat locum, noverat
proditorem reliquosque hostes, sed aufugere
noiebat. Petrum gladio ipsi auxiliantem de-
hortabatur. Hostes, quos verbò prosternebat,
rursus erigebat seque iis committebat. Joh.
XVIII, 6--9. Ut adeò verissimum, quod dixe-
rat Joh. X, 18. *Nemo tollit animam à me, sed*
ego pono eam à me ipso. cf. Matth. XX, 28.
Gal. II, 20.

XVIII. *Insper juxta voluntatem Patris.*
Unde Filius Joh. XVII, 4. *Opus, quod dedi-*
sti mihi ut facerem, consummavi; quodnam?
Ut poneret animam pro ovibus Joh. X, 18. Et
Pater dicitur filium *emississe factum ex muliere,*
factum sub lege Gal. IV, 4. *tradidisse* Joh. III,
16. *mississe propitiatorium pro peccatis nostris*
1. Joh. IV, 10. Et quando Filius potestate te-
nebra-

nebrarum terrefactus petebat, *Transseat calix iste à me*, mox subiciebat, *Verum non ut ego volo, à M' ω; σὺ sed ut tu.* Secundum voluntatem tuam, quæ mea etiam erit, licet imbecillitas naturæ humanæ liberationem mallet.

XIX. *Salvatorem juxta Patris voluntatem passum fuisse speciatim inde constat, quoniam omnia, quæ ipsi in statu humiliationis eveniebant, eveniebant secundum Scripturas V. Testamenti. Tradidi vobis ante omnia, quod etiam ego accepi, Christum mortuum esse pro peccatis nostris κατὰ τὰς γραφάς, sepultum quoque κατὰ τὰς γραφάς, juxta Scripturas I. Cor. XV, 3. 4. Et quod expressè de morte & sepultura Paulus affirmat, verum de omni alia humiliationis parte, quod partim ex inductione exemplorum, partim ex Evangelistarum, Matthæi speciatim, allegationibus prophetis liquet.*

XX. *Omnes has passiones nec optimus Pater Filio subeundas injunxit, aut Filius pertulit sine gravissimâ ratione. Ratio autem est eorum, qui in ipsum credituri sunt, salus Joh. III, 16. Horum bono & loco Christus humiliabatur, obediebat, patiebatur, moriebatur. Non solum credituris passiones emortuales (licet hæ præprimis) profunt, sed & aliæ omnes antea perlata. Nam quod Christus agebat, patiebatur, nostri causâ tanquam Salvator.*

vator. Nulla in illo humiliationis, contemptus, adversitatum ferendarum ratio. Clarè Paulus 2. Cor. VIII, 9. *Jesus Christus propter vos factus est pauper, quum dives esset, ut vos paupertate ejus disceretis.* Atque ad hunc modum rectè dicimus, humiliabatur ut nos exaltaremur; Humanæ naturæ particeps factus est, ut nos divinæ. Et sic quoad reliqua. v. 2. Cor. V, 21. *Jes. LIII, 4. 5. 6. 7. 8.*

XXI. *At simul probè tenendum non solum obedientiam & passiones Christi bono & loco nostro sed etiam in exemplum exantlatas fuisse.* Unde cui non sunt in exemplum, nec vergunt in bonum aut locum ejus. Christus humiliabatur, ut & nos humilitati studeremus, Philipp. II, 5. Christus pauper factus est, ut & nos bona nostra dispergeremus, 2. Cor. VIII, 9. 10. &c. Christus contemptum, crucem sustinuit, ut ipsi conformes redderemur, Hebr. XII, 2. Christus carne passus, crucifixus est, ut & nos carnem crucifigeremus 1. Petr. IV, 1. II, 21. Atque qui ita unà patiuntur, etiam unà glorificabuntur Rom. VIII, 17.

XXII. *Exinanitionis statum excipit exaltationis, quò Jesus Christus quoad divinam Naturam devictà mortē & peccatō Magnus Deus manifestatus, quoad humanam verò corpus vitæ restitutum, à defectibus liberatum, gloriā coronatum, in cælum translatum est, ubi tanquam *ἱεὺς ὑψωθὲς* ad dextram*
Patris

Patris sedet, in judicio ultimo reversurus ad judicandum vivos & mortuos.

XXIII. *Jam in Jesu exinanito exaltationis præludia cernebantur, quæ tantò magis conspicua, quò exinanitio major, uti id passiones emortuales evincunt. Angeli ex cælo, tenebræ Solis, motus terræ, veluna Templi scissum, fissura petrarum & mortuorum resurrectio gloriæ summæ in crucifixum transferendæ documenta præbebant. Prout verò exinanitio gradus habebat, habet quoque exaltatio.*

XXIV. *Primus est resurrectio, fidei Christianæ fundamentum 1. Cor. XV, 17. 18. Rom. X, 9. Quare distinctius de ea agendum. Et quidem (1.) De Natura ejus. (2.) Dein de Circumstantiis. (3.) Denique de Veritate.*

XXV. (1.) *Natura Resurrectionis.* Illud ipsum corpus, quod non ita pridem terræ mandatum, cum anima, quæ singulariter in manu Dei erat, rursus conjungebatur vivebatque. Et anima ab angore aliisque infirmitatibus liberata dulcissimum sensum gaudii charitatis Dei possidebat: Corpus verò immortale, *inadiv* factum, & quod mox majorem gloriam consecuturum, Phil. III, 21. Act. VII, 56.

XXVI. *Resurrexit verò virtute divina, cui soli vis vivificandi inest. Quum verò vis divina omnibus tribus personis communis sit, patet hinc posse adscribi & Patri & Filio, quod Scriptura*

ptura facit. Patri Eph. I, 19. 20. Gal. I, 1. 1. Theff. I, 10. Rom. X, 9. unde is aliquando περιπασινω, describitur *qui suscitavit Jesum ex mortuis* Rom. VIII, 11. IV, 24. quâ actione docemur ipsum morte Christi glorificatum sponforem ab omni obligatione absolvere, Act. II, 24. 32. mercedem promeritam ei addicere atque etiam peculium ejus justificare, Rom. IV, 24. Spiritu suo vivificare Rom. VIII, 11. adversus satanam defendere c. c. v. 34. 1. Theff. I, 10. Sed Filio Joh. II, 19. X, 18. v. 21. ad demonstrandum divinitatem suam, Rom. I, 4.

XXVII. II. *Circumstantiæ Resurrectionis.* Ex his prima est tempus, quod tertius dies. Non prius resurgebat, quò certius constaret illum verè mortuum fuisse. Nou diutius in sepulchro manebat, tum ad erigendum afflictos discipulos, tum quoque, quoniam corruptionem subire non debebat. Et hoc ipsum tempus est, quod ab Hosea prædictum c. VI, 2. à Jona præadumbratum Matth. XII, 40. ab ipso quoque Salvatore toties fixum erat Joh. II, 19. Matth. XVI, 21. XX, 19. Nec difficultas est, quod tres integri dies noctesque monstrari nequeant, quandoquidem in Scriptura ut & Judæorum libris pars temporis sapissimè pro toto sumitur. *Secunda dies*, qui primus septimana. Parte quippe ultima sexti corpus terræ committebatur. Septimo in terra quiescebat Sab-

bathi

Cap. XX.
antityp
Sabbat
clare ait
primus se
tenebris
discutiend
gebat Chr
marie fac
decent
Quarta
tatem
apud infi
XXVIII.
illa in dul
natur, qui
monis fide
trum dic
res homine
ndum è m
ta, quæ ad
quod ex dice
XXIX. (
tem dabatur
ionis contig
u talibus, q
pote a quib
debant fall
misti, à fra
ne improbat

bathiantypus, typum abrogaturus. ὁ ἡμεῖς σαββάτων
exacto Sabbato Matth. XXVIII, 1. quod Mar-
 cus clarè ait c. XVI, 1. quando mox illucesce-
 bat primus septimana à Sole oriente computa-
 tus, tenebris tamen nondum discussis, mox ve-
 rò discutiendis Luc. XXIV, 1. Joh. XX, 1. re-
 surgebat Christus. *Tertia motus terræ* extra-
 ordinariè factus, ut divinum opus constaret
 atque decenter consideraretur, cf. Act. XVI,
 26. *Quarta Angelorum Ministerium* docens
 Majestatem Jesu Domini sui, tum apud fideles
 tum apud infideles Matth. XXVIII, 4.

XXVIII. IV. *Veritas Resurrectionis*. Ne-
 quit illa in dubium vocari. Nam vel in dubium
 vocatur, quia absolutè impossibilis, vel quia te-
 stimoniis fide dignis non est comprobata. At
 neutrum dici potest. Non prius: Cui enim
 vires hominem creandi, illi quoque ad eum ex-
 citandum è morte. Nec posterius: Nam cun-
 cta, quæ ad ἀξιοπιστίαν testimonii faciunt, habet.
 Quod ex dicendis liquet.

XXIX. (1.) Testimonium Christi excitati-
 tum dabatur, quando ipsa Historia resurre-
 ctionis contigit. (2.) Dabatur à pluribus. (3.)
 Et talibus, qui non poterant falli 1. Joh. I, 1.
 utpote à quibus Christus sæpius videbatur, nec
 volebant fallere, quippe homines simplices,
 candidi, à fraude, mendacio, ceteris quæ gravissi-
 mè improbant, alieni, quique dirissima, plu-
 rimi

rini mortem propter hoc testimonium patiebantur, nec denique poterant fallere, nam rem narrabant suo tempore gestam facile falsi (si falsum subfuisset) convincibilem, rem quoque carni adversam, Judæorum & Gentium Religioni oppositam. (4.) Dabatur dein cum circumstantiis temporis, terræ motûs, saxi devoluti, monumenti vacui reperti, Angelorum visorum, militum aufugientium atque ad mentiendum subornatorum &c. (5.) Dabatur tandem juxta Scripturas Propheticas, quæ etiamnum in hostium manibus sunt atque testantur Messiam in mortis statu non permansurum, Ps. XVI, 10. cf. Act. II, 24-32. Ps. CX, 7. Es. LIII, 8. Hof. VI, 2.

XXX. *Magnum quoque robur hæc veritas sumit ex toties repetitis apparitionibus tum ante ascensionem tum etiam post eam.* Post ascensionem visus à Stephano, Paulo Act. VII, 55. 1. Cor XV, 8. Ante eam à Maria Magdalena Marc. XVI, 9. cæterisque mulieribus à sepulchro regressis Matth. XXVIII, 9. 10. duobus discipulis Emauntum euntibus Luc. XXIV, 13. 31. Simone Petro solo Luc. XXIV, 34. Apostolis collectis Hierosolymæ, Thoma excepto Joh. XX, 19-24. Post octiduum ab iisdem & etiam Thoma Joh. XX, 26. Ad mare Galilææ à septem discipulis piscantibus c. XXI, 1. A plusquam quingentis fratribus simul 1. Cor. XV, 6. Jacobo seorsim l. c. v. 7. Et tandem

ipso

ipso ascensionis die ab omnibus discipulis Act. I, 2-9. Factæ autem erant hæ apparitiones tum ut ipsi Apostoli resurrectionem in dubium vocantes validissimo hoc argumento convincerentur, tum quoque ut omni *πληροφορία* dicere possent *Quod audivimus &c. testamur* I. Joh. I, 1. tum denique ut naturam regni cælorum rectius edocerentur discipuli Act. I, 3.

XXXI. *Secundus exaltationis gradus est ascensio Christi in cælum.* In Sacris exprimitur vocibus *ἄνελαι* assumere Ef. LIII, 8. cf. Gen. V, 24. 2. Reg. II, 9. *ἀναλαμβάνειν*, I. Tim. III, 16. Act. I, 11. *ἄνελαι* ascendere Pf. LXVIII, 19. *ἀναβαίνειν* Eph. IV, 10. Joh. XX, 17. proficisci ad Patrem, in domum Patris, intrare in sanctuarium Joh. XIV, 2. XVI, 7. Hebr. IX, 24. Priorres duæ Patrem Filium assumptem & propter glorificationem nominis sui factam in gloriam recipientem; Posteriores verò Filium propriâ virtute cælos petentem docent.

XXXII. *Estque ascensio hæc localis, sive* Jesus Christus quoad humanam naturam relicta terrâ in cælum verè sublatuſ est. Quod non solum volunt voces *ascendere, assumi*, sed maximè illa loca, quæ affirmant Christum cælos pertransisse Hebr. IV, 14. *cælis superiorem factum fuisse* c. VII, 26. *contineri cælo* tanquam palatio suo *usque ad tempora restitutionis omnium* Act. III, 21. *reversurum c. I, 11.* imò *mundum deseruisse* Joh. XVI, 28. quæ

Gg

utique

utique verba plus inferunt quàm statûs mutationem. Insuper omnia, quæ ad localem mutationem requiruntur, reperiuntur in Christi ascensione. *Requiritur corpus finitum*, quale Christi caro, gloriosior quidem post resurrectionem, sed tamen caro. *Dein terminus à quo*: Is erat mons Oliveti prope Hierosolymam, distans itinere Sabbathi, sive spatio bis mille cubitorum Act. I, 12. qui etiam Bethania dicitur Luc. XXIV, 50. tractus puta montis Oliveti ita dictus, non vicus hujus nominis Joh. XI, 18. *Præterea terminus ad quem*, qui cælum & quidem summum Hebr. VII, 26. Eph. IV, 10. naturam veri loci tenens, vide supra c. VI, §. 25. *Tandem spatium interpositum*, per quod terram relinquendo in cælum supremum evectus erat scil. cælum aëreum, stelliferum, unde cælos pertransiisse, cælis superior factus dicitur Hebr. IV, 14. VII, 26.

XXXIII. *Hanc verò ascensionem verè gestam fuisse confirmant sequentia. I. Testimonium Apostolorum*, qui ascensioni interfuerunt & hinc circumstantias Christi ascendentis varias nobis reliquerunt Act. I. Verum quidem quòd nullus hostium ipsum ascendentem viderit, saltem quantum ex Historia Sacra constat, sed idèò Discipulorum testimonium in dubium vocari nequit. Habebat Deus rationes (a) Nam prius audiverant præconium Christi, viderant plura, maxima miracula, nec tamen cre-

credebant. (b) Nec solet Deus ordinariò fidem in Christum tali cœlesti argumento, demonstratione scil. filii sui in cœlo, exigere. (c) Sed præconio Evangelii, testimonio illorum, qui ipsum ascendentem viderant, ut esset locus fidei & explorationi, qualis non, si Christus gloriosò modò in cœlo conspiceretur. Ita enim nequidem Diabolus incredulus esset. (d) Quare tum demum, quando ad judicandum reversurus, in nubibus apparebit, atque eum omnis oculus videbit.

XXXIV. II. *Testimonium Stephani & Pauli* Christum in cœlo videntium. Act. VII, 55. 1. Cor. XV, 8. IX, 1. Act. IX, 3. 4.

XXXV. III. *Testimonium Spiritus S. à cœlo effusi.* Hic quippe donum Christi ascendentis Ps. LXVIII, 19. promittebatur post discessum ad Patrem Joh. XVI, 7. *Itaque dextra Dei seorsum sublatus & promissum Spiritum Sanctum adeptus à Patre effudit hoc, quod vos nunc cernitis & auditis* Act. II, 33.

XXXVI. IV. *Testatur omnis subsequens Historia progressus regni Christi inter Judæos & Gentes.* Quare Judæorum Templum & Respublica corrui? Quare quoque Gentilium fama profana à pristinis cultoribus suis agnita? Quâ virtute piscatores, publicani tanto cum successu Historiam Christi crucifixi prædicarunt? Quâ denique potentiâ infirmi Discipuli

ingentia miracula patrarunt? Quoniam Jesus Christus in cœlum ascendit ibique regnat.

XXXVII. V. *Tandem id ipsum prædictionum & Typi natura poscit.* De Christo in cœlum ascensuro vaticinabatur David Ps. LXVIII, 19. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem*, cf. Eph. IV, 8. Idem Ps. XLVII, 6. Etiam Esaias c. LIII, 8. Typus verò egregius in Pontifice V. T. cum sanguine ad expiandum peccata in Sanctissima intrante prostat, quem ipse Paulus ad Christum transfert Hebr. IX, 12. 24.

XXXVIII. *Sequitur tertius gradus sive sessio Christi ad dextram Dei.* Variè proponitur in Sacris: Modò *esse* Rom. VIII, 34. Modò *sedere* Coloss. III, 1. Modò *collocari* Eph. I, 20. Modò *stare ad dextram Dei*, Act. VII, 55. 56.

XXXIX. *Impropriam esse phrasin ex natura Dei spiritali patet.* Solet autem in Scriptura adhiberi ad Majestatem & gloriam Hebr. I, 3. VIII, 1. *Insuper ad potentiam atque robur indicandum.* Cujus rei ratio minimè obscura, quippe dextra apud Hebræos sinistrâ honoratior habebatur Gen. XLVIII, 13. Job. XXX, 12. Matth. XXV, 33. quò facit sessionis in Synedrio ratio, juxta quam Pater domûs Judicii Principis latus dextrum claudebat. Cum honore verò robur conjunctum esse solet.

XL. *Que phrasis explicatio satis commoda*

moda est, quippe liquet eâ significari statum Christi in cœlis. Hic verò est gloriâ & Majestate plenus Joh. XVII, 5. Luc. XXIV, 26. Philipp. II, 9. 10. Eph. I, 20. 21. Pollet Salvator nunc omni potestate in cœlis & terra Matth. XXVIII, 18. Regit Ecclesiam Spiritu & verbo, atque defendit eam fortissimè adversus hostes.

XLI. *Id verò difficultatem facit, quòd ex hac explicatione sequeretur Christum Patre honoratiorem haberi*, sed difficultas mox disparet, quamprimum cogitamus gradum honoris majorem vel minorem in *אלהים* altissimum non cadere. Dein ob 1. Cor. XV, 27. *Omnia subjecit pedibus ejus. Quum autem dicit omnia ei esse subiecta, palam est hoc dici excepto eò, qui subjecit ei omnia.* Quare phrasî à more humano desumpta non ultra extendenda est quàm materia subiecta patitur. Et quis ignorat Rege in regno suo honoratiorem non esse, quamvis alium ad dextram collocet, v. 1. Reg. II, 19. Ps. XLV, 10.

XLII. *Ultimus gradus est reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos, de quo alia hoc loco dicturi non sumus.*

XLIII. *Hi ergo sunt exaltati Christi honores, quos sibi humiliatione promeritus erat* Phil. II, 6-12. Decebat utique Patrem, ut Filium, qui pro ejus gloria mortem subiit, ad vitam excitaret: Qui infima terre calcavit, in